

## OVATIONES

MIMI BENDER

Amor doctrinaque linguae Latinae confirmant artem peritiamque recte litterarum ordinandarum in lingua nostra: e multis fontibus pervenienti, sequenti regulas saepe numquam augurandas. Nunc honoramus magistram quae amorem doctrinamque linguae Latinae multos annos confirmavit. Erudivit multas discipulas praeditas multis indolibus, inter quas unam mirabiliter praeditam arte peritiaque recte litterarum ordinandarum in lingua nostra. Alumna duarum universitatum in hac valle—gradum Baccalaureae Artium adeptam apud Collem Castaneae, gradum Magistrae Artium apud Villam Novam—locuplevit non solum Academiam Montis Sancti Iosephi sed etiam studia classica in hac regione. Plaudamus igitur Mimi Bender.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 98.4 (2005)

JUDITH P. HALLETT

CAROL BERARDELLI

Hodie honoramus filiam Civitatis notabilis propter hortos, magistram cuius labores in cognoscenda lingua praeclara antiquissimorum cultissimorumque Romanorum praemio ornavit Academia Cordis Sacri, in oppido cuius appellacionem, Terra Vinearum, memorat loca carissima barbaris incultissimisque Hyperboreis. Civitas propinqua, notabilis propter silvas sui conditoris, eam quoque nutrit, apud duas universitates, Montem Rosarum Castrorumque Occidentium, et in linguis ultimae Britanniae hodiernaeque Italiae. Ambas civitates divitiis eruditionis donavit, praecipue apud Academiam quae—gratia rerum gestarum huius feminae mirabilis in provehenda disciplina classica—non solum fert nomen sed etiam praebet virtutes huius conditoris, viri nobilis, pii pacificique. Ea gubernatrice, studia litterarum Latinarum velut favus creverunt: numerus discipulorum discipularumque multiplicavit; amor discendi et vivendi in modo Romano veram communitatem creavit. Similis reginae Carthaginis, iura dedit legesque collegis in societate classica urbis aquilis illustris;<sup>1</sup> sortes societatis Vergilianae curavit; patria avorum beatorum, quam saepe perlustravit, eam refecit et sustinuit. Plaudamus igitur Carol Berardelli.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 98.4 (2005)

JUDITH P. HALLETT

JEANNETTE KESHISHIAN

Hodie honoramus feminam doctissimam et laboriosam,<sup>2</sup> plenam salis et facetiarum, columen studiorum classicorum, non solum paene sex lustra in urbe clara propter fabulam umbraculi argentei vexillumque tredecim stellarum clavorumque, rubrum albumque caeruleumque, sed etiam in civitate condita causa libertatis, in credendo colendoque. Ovidius noster narrat sidera lucentia in via lactea vitam aeternam dedisse ursis, maiori minorique, matri filioque.<sup>3</sup> Alma mater quae haec animalia, mellis et complexum

---

<sup>1</sup> Ver. *Aen.* 1.507–508: [*Didō*] iura dabat legesque viris, operumque laborem / partibus aequabat iustis aut sorte trahebat.

<sup>2</sup> See Catull. 1.5–7: iam tum cum ausus es unus Italorum / omne aevum tribus explicare chartis / doctis, Iuppiter, et laboriosis.

<sup>3</sup> See Ov. *Met.* 2.507: [omnipotens] imposuit caelo vicinaque sidera fecit.

amantia, vocat in mentem similiter ei praemia immortalia dedit: gradum Baccalaureae Artium, suaviloquente lingua Latina momento maiore, strepitibus Teutonorum minore. Apud Universitatem in oppido molinarii, apud diligentissimum eruditissimumque praeceptorem, iterum fontes discendae huius linguae gloriosae bibit, adepta gradum excelsiorem, Magistrae Artium. Septem annos in regione splendida boletis docuit, viginti et tres apud academiam famae praestantissimae, consecratam educandis feminis sapientibus enituit. Plaudamus igitur Jeannette Keshishian.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 98.4 (2005)

JUDITH P. HALLETT